



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvtiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

De eo quod scriptum est in laudibus mulieris fortis, id est, sanctæ fidei, uir
eius laudauit eam, & date ei de dructu manuum suarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

CXVIII R VPER. ABBA. DE GLORIF. TRINI.

& corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Ergo uisio domini sedentis super solium excellum & eleuatum, prophetia erat dominicae ascensionis in celum: Et quod dictum est, ea, quae sub illo erant, implebant templum, idem est ac si diceretur, & dona gratiarum, quae dedit hominibus (sicut scriptum est, ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus) impleuerunt corda credentium, qui & ipsi templum dei sunt, propter Christum habitantem per fidem in cordibus eorum. ¶ Super huiusmodi templum Seraphim stabant, id est, Apostoli & Prophetae, ex utroq; testamento praeminentes, Principatum habent, id ipsum sentientes de Trinitate quae est unus deus, sicut etiam illorum literae testantur: quod est alterum clamare ad alterum, & dicere: Sanctus, sanctus dominus deus, utriusque testamenti pagina, utraque scriptura prophetica & Euangelica, idem de uno creatore consonat: qui senario dierum numero creauit omnia, & in septimo sabbatizat, illud idem sabbatum fidelibus suis, maximèq; prædictoribus ueritatis, largitus, ut cum compleuerint opera sua, requiescant & ipsi, ab operibus suis (ait Apostolus) sicut & a suis deus. ¶ Sex ergo alæ uni, & sex alæ alteri. Quot alis uolabant, totidem uelabunt faciem eius, & totidem scilicet uelabunt pedes eius: quia uidelicet quantum ex utroq; testamento sanctam trinitatem testificantur intentione, tanta & claritatem diuinitatis CHRISTI filii dei & sacramentum humanitatis sive incarnationis eius abscondunt discretione, uel his qui non possunt capere, uel maxime his qui non possunt audire præ tormento inuidiae. ¶ Commota sunt enim (ait) superliminaria cardinum a uoce clamantium, & domus impleta est fumo. Seditionem quippe excitauerunt Principes & seniores populi Iudeorum, & missos ad se Prophetas & sapientes & scribas quosdam occiderunt, quosdam flagellauerunt, & de ciuitate in ciuitatem persecuti sunt: Et iecirco relicta est eis dormus sua deserta, fumo impleta præ cæcitate cordis eorum abiecta. Componiti sunt corde aliqui ex eis, & dixerunt ad Apostolos. Quid faciemus uiri fratres? Eorum in persona congrue dixit Propheta: Vnde mihi, quia tacui, quia uir pollutus labiis ego sum, & in medio populi pollutula labia habentis ego habito, & regem dominum exercituum ego uidi oculis meis. Hoc enim fuit dicere unumquenque illorum. Vnde mihi, quia clamando, & consentiendo clamantibus, crucifige, crucifige, labia mea pollui, & res gem meum CHRISTUM, quem uidi oculis meis, qui uenit in diebus meis, ut proximus fuerat ex lege & Prophetis, negauit ante faciem Pylati. ¶ Et uolauit ad me (inquit) unus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum. Petrus nanque ait ad illos. Peccnitentiam agite, & baptizetur unusquisque in nomine IESU CHRISTI in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Recete etenim Petrus hic intelligitur unus de Seraphim, ipse est enim Apostolus primus, & ipsi præ ceteris dictum est, quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in celis: & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in celis. ¶ Hoc est quod hic audiuius, in manu eius calculus, quia potestas ei data est, præcipua post CHRISTUM, ut creditibus remissionem peccatorum operetur, quem uidelicet calculum idem spiritus sancti gloriari forcipe tulerat de altari, id est, de maiestate CHRISTI, forcipte (inquam) id est, per egregiam fidem unius eiusdemq; dei & hominis IESU CHRISTI. Et audiui (inquit) uocem domini, dicentis: Quem mittam, et quis ibit nobis: Aci diceret. Et prophetas occiderunt ac persecuti sunt, & me prophetarum dominum crucifixerunt. Post tot experimenta peccati eorum & duri cordis, quem mittam? Quis ibit nobis? Hic dicit, quaterq; beate protomartyr Stephane, temetipsum obtulit spontanea fide fidelissima spe, gratiosa charitate. Et dixisti: Ecce ego, mitte me. Neq; iussus aut missus a homine uel per hominem, sed per spiritus sancti plenitudinem faciebas prodigia & signa magna in populo: ipsos beatos Apostolos præueniens in prælio, primusq; in Euangelio Christi martyr, & secundum nomen tuum coronatus uictor obdormisti in domino.

¶ Be eo quod scriptum est in laudibus mulieris fortis, id est, sancte fidei vir eius laudauit eam, & date ei de fructu manuum suarum.

Caput .XIX.

Ecce o beata

Psalm. 67.
Ephe. 5
Duo seraphi
Apostoli &
prophetæ.

Heb. 4.
Esa. 6.

Ad quid sex
alæ uni

Comora sup
liminaria qd
significant

Matth. 23

Actu. 2

Esa. 6

Matth. 27.

Iohan. 5.

Petrus, unus
de Seraphim

Actu. 2.

Mat. 16.
Quid calculo
in manu Ses
raphim.

Præconia B.
Stephani.

Actu. 6

Stephani.

Actu. 6

ET PROCESSIONE SAN. SP. LIB. IX. CXIX.

Ecce de beata trinitas nomen tuum, iuxta propositum, pro posse glorificauimus & tuam o sancte spiritus processionem, ecce pro ut ipse dedisti, uoce & literis prosecuti sumus. Quid dabitis premij? Audemus enim nos: non autem ex nobis, sed audet in nobis mulier fortis, prospicere precium suum, procul, & aduocare de ultimis finibus. ¶ Quae est illa mulier fortis? Nonne fides, per quam & Abraham tibi complacuit, & omnis electorum multitudine sic est amica coniuncta tibi uni deo, quemadmodum uxor siue dilecta uiro suo? Ipsa in nobis audet, & nos per ipsam audemus: quia non aliunde, sed ex ipsa iusti sumus, & ex ipsa uiuimus. Ecce hic quoque, ecce in nobis os suum aperuit sapientiae, & lex clementiae in lingua eius & panem otiosam non comedit. Surgant igitur filii eius, & beatissimam praedicent eam, & uir eius CHRISTVS laudet eam: neque per hoc minus laudabilis habetur, quia nos secundum miseram conditionem fragiles sumus, magno quoque. A postolo dicente: Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus. Vbi surgant, & beatissimam praedicent eam filii eius. Vbi laudet eam uir eius? In portis, in exitu uitae praesentis, secundum edictum sapientiae, quod hic habemus. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis operariis.

Peroratio.

Fides, mulier
ris fortis

Prover. 31

z. Cor. 4
Prover. 31

HABES HIC CANDIDE LECTOR, LIBROS NO
uem Ruperti abbatis Tuitiensis, de Glorificatione trinitatis, & processione spi
ritus sancti, sacris confirmatos literis, & nunc primū, Impēs honesti
stii uiri Francisci Birkman, diligenter impressos, Anno
quidem à natali Christiano, M. D.
XXVI. Pridie Idus
Iunias.